R. G. ADAMS

Questo libro composto di libretti trentanove ha un gran valore. Il suo piu gran pregio consiste nella lettera di Cristoforo Colombo in lingua Spagnola.



Thomas Randolph Adams

The John Carter Brown Library

GIFT OF

Thomas R. Adams

MATRONARVM VERONENSIVM

OB VETITAS POMPAS MOERENTIVM

Ioannis Balcianelli Vicetini

CONSOLATIO.

Ad Illuſt. ac Reuerendiſs. D. Marcum Cornelium pat. Ven. & S. Zenonis Veronæ Abbatem Digniſs.



VERONAE, M D XC.

Apud Hieronymum Diſcipulum.

RPJCB

ILL. AC REVEREN.MO
D. MARCO CORNELIO
PAT. VEN.
ET S. ZENONIS VERONAE ABBATI DIGNISS.

Ioannes Balcianellus Vicetinus S. D.

CVM quoſdam luſus noſtros edere coactus eſſem, nonnullis amicorum editionem petentibus, & ne amplius eos in arcæ tenebris deliteſcere paterer, ſed in puluerem (vt aiunt) deſcendere permitterem, ſummopere efflagitantibus, ſub fœlici nominis tui auſpicio (fortaſſe nimis audacter) tandem edendos curaui; Cauſam verò huiuſce rei, ſi te ipſum reſpexeris, vultumq; tuum legeris, facilè cognoueris; ea enim es virtute, et humanitate præditus, vt, quem tibi anteferant, ſcriptores ferè ignorent. Accedit, quòd non eſt, qui maiori ſtudio, quàm tu, litterarum candidatis fa-

ueat, ac patrocinetur. Sed quid hæc? Non poteſt quidem urbs ſupra montem poſita nobis abſcondi. Quare munuſculum hoc eo, quo offertur corde, ſuſcipe, tibiq; uelim perſuadeas me, ſi hoc tibi gratum fuiſſe (quod omnino deſperandum non eſt) compertum habuero, quod magis dignitati tuæ reſpondeat, propediem eſſe enixurum. Vale.

Veronæ ix kal. Decembris CIↃ IↃ XC.

QVID moror, aut patior noſtras cur amplius aures
Aſsiduos gemitus, longas vexare querelas?
Fæmineus lacrymas ſexus ſat fudit inanes.
Vt phaetontæas fertur mutaſſe ſorores
Iuppiter ah nimium mærentes funere chari
Fratris in arboreum truncum, qui cortice molli
Humidus Eridanum lacrymas diffundit in altum;
Corpus & Aegeriæ quondam vt vertiſſe perennes
In latices fertur miſeri poſt fata mariti;
Sic equidem vereor; ne commiſeratus acerbum
Ipſe mihi coniux leſſum, conuertat in vndas,
Aut in populeas frondes, Verona dolentes
Quas videt ob luxus, ſublataq́ gaudia mundi.
Ante meas aras ergò cum munera fument,
Et noſtras imploret opes, & Numina poſcat
Fœmina, quæ lacrymis Atheſim tepefecit obortis.
Supplicibus votis (quando ſuccurrere fas eſt
Præcipuè Dÿs, & miſeris lenire dolorem)
Ipſa libens, quantum dabitur, precibuſq́ fauebo.
Alloquar & rerum patrem, fratremq́, virumq́;
Vt tantos ſedet motus, & fœdera legum
Soluat, quæ prorſus rigidi contraria patres
Fæmineo generi Veronæ fræna tenentes
Sanxerunt. Noſtris ſic ſtat ſententia dictis.
Hæc vbi fata: furens animi ſaturnia Iuno
Tendit in aſtriferam ſedem, qua Iuppiter imum
Aera deſpiciens, terras, atq́ æquora ponti,
Scæptra premit rutilis manibus fulgentia gemmis.
Quam ſimul aſpexit venientem, Iuppiter alto

Conſurgens ſolio lætè intra tecta recepit,
Atque dedit circum tereti ſua brachia collo.
Tùm, quæ cauſa viæ, quæ vis nunc inſtet eundi,
Hortatur fari. dixit cui talia Iuno.
Omnipotens coniux, frater dilecte ſorori,
Me pia cauſa viæ, nouitas rariſsima cogit,
Vt noſtrum linquens regnum, tua limina viſam.
Sunt, qui fœmineum genus aſpernantur iniq;,
Quòd noſtras ſectentur opes, quòd Numen adorent;
Infauſtæ quare leges conduntur in illas,
Quæ miſeras prohibent virides perferre lapillos,
Aurumq; intertextum, argentum vilius auro,
Chryſolitos, amethyſtos, clarum adamanta, pyropos
Ardentes, & quæ nigris mercator ab Indis
Sedulus educit, Rubris aut euehit vndis.
Si patrio quiſquam vellet te pellere regno;
Vt conata fuit ſæuorum turba gygantum,
Quid faceres? toto vibrares fulmina cælo,
Penderet & pœnas ſceleris manus impia iuſtas.
Cum proprijs igitur priuetur fœmina rebus,
Maternisq; bonis, longum poſſeſſa per æuum,
Quæ fuerint, manui non indignetur auaræ?
Illicet imbellem Natura creauerit illam?
Sed cum non armis valeat defendere ſeſe,
Nec valida pugnando manu cum poſsit auitum
Ius, parat ipſa ſuum ſaltem tutarier ore.
Hinc oculis fletus, gemitus è pectore verſat,
Hinc inſtans onerat conceptis æthera votis,
Et precibus ſupplex crebrò venerata frequentat
Templa Deum, poſitis cumulatq; altaria donis.
Mortales ergo ſuperum deflectere Numen
Si valuere preces, alti moderator olympi

Audi

Audi fœmineos queſtus, ſuſpiria dextris
Auribus, & tua quæ loquitur fidiſſima coniux.
Infirmet tua dextra grauis conſulta potentum,
Qui nunc Veronæ patres moderantur habenas;
Vt proprio valeat perfungi fœmina Iure,
Illius & quiſquam, præſta, ne munera turbet.
Dixerat hæc Iuno: Contra cui Iuppiter orſus.
O noſtri germana tori chariſſima conſors,
Quæ tua ſollicitant tàm triſtes pectora curæ,
Parua reor; tanti nec ſunt, vt noſtra morentur
Gaudia, nec poſſint vitam temerare Deorum:
Nec mihi cum liceat fatis diſſoluere legum
Vincula, quas æquo firmant libramine patres
Cuncta graui commiſſa ſibi probitate regentes;
Inde volens ſperno queſtus, lacrymaſq; tepentes.
At ſi fata Deum mortalibus edere fas eſt,
Scireq; venturum; dictis tua pendeat auris,
Ipſa tibi quæ fata ſinunt euoluere, noſtris.
Promiſſis famulas vt conſoleris amicis.
Tempus prędico velocibus affore pennis,
Cornua nec lunæ pleno ſimul orbe coibunt
Multa nouæ; quando patres decreta volentes
In melius referent, morum vetus ordo redibit,
Fœmina delitijſq; vtetur diues auitis;
Nec fuerit mutata patrum non iure voluntas.
Iuppiter hæc fatus; niueo dedit oſcula vultu
Coniugis, & ſtellis radianti ſede quieuit.
Extemplò exultans Irim ſaturnia Iuno
Reſpicit, & noſtræ dixit prænuntia mentis
Iri Decus noſtrum; ſummo modò labere cælo,
Antiquamq; petas vrbem, quæ propter amœnum
Magna fuit Thuſco flumen fundata colono,

Veram, Veronam quam poſt dixere Minores.
Alma Ceres vidit quam fertilis vbere glebæ,
Pallas conſilijs (hæc quando nouiſsima demas)
Fortibus aut armis ſemper Mars ipſe potentem.
Hic inter queſtus famulas torpere videbis
Ipſa meas longo ſquallentia corpora fletu,
Alloquere, & dictis luctu ſolare iacentes,
Fatidicus nobis quæ coniux edidit, & quæ
Hauſiſti proprijs pendens certo auribus ore
Ipſa Iouis noſtri, noſtrum comitata laborem.
Hæc vbi præcepit. Sumpſit tunc roſcida pennas,
Et pernix Iris perfert mandata per auras,
Clauigeriq́ ſenis Diui ſuperaſtitit arce;
Qua latos Verona tuos proſpectat in agros;
Quaq́ domos latè vaſtas circumſpicit vrbis,
Quaq́ pedes ſubter penitus collapſa Theatri
Culmina diſcernit, veterum monumenta parentum;
Ordine quo longo quondam diffuſa iuuentus,
Quoq́ ſedens propius patrum chorus ore verendus
Flumine nauales pugnas ſpectabat in alto.
Parte alia, Circi moles qua tollitur ingens,
Romanæ magnorum operum veſtigia gentis,
Imperio cuius terrarum paruit orbis,
Tempus ad hoc ſolidos (mirum) ſtupet ipſa labores.
Voſq́ triumphales arcus, immania templa
Miraturq́ Deum, torrentur munera flammis
Sæpè quibus, ſacriſq́ aris adolentur odores,
Et quos mittit Arabs, quos mittit & India mollis;
Exin collaudat latarum ſtrata viarum,
Quæ ſuper inſpexit varij diſcurrere multos
Mortales generis: Nam quos Germania gignit,
Hùc veniunt; Iſtri vel qui ſeptem oſtia vaſti,
Qui-

Quiq; bibunt Ararim, Rhodanumq; Moſæq; fluenta,
Quiq; Tagi legit auriferas haud tardus arenas;
Et populos cernit quos Apenninus ab alto
Vertice nimbifero; Felix Verona beatas
Incoluere tuas oras: gratiſsima cunctis
Mater opes adeò præſtas Mortalibus vltrò:
Perplacidas Atheſis lymphas, & laudibus effert,
Eridanumq; ſuper, Tybrimq; extollit Etruſcum,
Tybrim, cui quondam Nili ſeptemfluus amnis,
Tygris, & Euphrates, Gangeſq;, & Eous Hydaſpes,
Subditus & Boreæ Tanais, Rhenuſq; bicornis
Victori victi magnum duxere triumphum:
Fælicemq; vocat perſæpe, quòd Adria curſus
Illius in gremium Regina receptet amœnos,
Quòdq; libens cupiat pactum perferre tributum.
Cunctorum tandem indigenum præconia voluit,
Innumeras laudes tacito percurrit & ore,
Inuida quis maculas tentaret inurere lingua
(Lata ſuper tantum baccas ni carperet acta)
Dentibus & rabies fruſtra mordere malignis.
Sed quiſnam Muſæ reminiſci nomina poſſet,
Iris quæ lingua celebrat, quæ mente reuoluit
Puniceis ornata roſis, auroq; micanti,
Tempora cæruleis pariterq; accincta ſmaragdis?
Caſtalides (quando vos cuncta referre poteſtis)
Dicere ſi maior forſan vetat omnia cura,
Dicite pauca, precor, noſtrumq; exoluite carmen.
Quos orbi Domus extulerat Bonifacia natos,
Innumeramq; virum prolem; ſi longa priorum
Sæcla per annales, patrumq; inſcripta reuoluas,
Multicolor ſunt prima tibi Dea laudis origo.
Quorum humeros ſuper (vt perhibẽt) radiauerat vſq;

Mater-

Materno radijs vtero ſata ſtella coruſcis,
Signa per illuſtris vitæ haud obſcura futuræ.
Inde Nogarolæ factorum præmia gentis
Diua refert tenebris non inuoluenda ſilenti,
Præcipuas generis laudesq́ue emittit ad aſtra
Fæminei, miro ſacras quod Pallados artes
Ingenio doctum ſtuduit palleſcere chartis.
Nubigenæ ſeriem Diuæ Beuilaqua ſecuta eſt
Progenies, fœcunda viris, qui fortibus auſis
Sunt ſemper nixi patriam decorare merendo.
Quos inter, ſtellas quantum perpulchra minores
Luna rubet, tantum Marius comes ipſe refulget,
Vſq́ue volans cuius ſpolijs erroris onuſtum
Ethiopas, nomen fuſcos penetrauit ad Indos,
Auri quos auidus fului rimator Iberus
Imperij vinclis, dictis & legibus arcet.
Poſt animo legit illorum decora alta Nepotum,
Cognomen quibus addidit, atque inſignia velox
Grata canis, Crete, vel quem non Vmbria pauit,
Sed qui interfecti monſtrauerat oſſa parentis
Erigone, Cœlum cui poſt donauit habendum
Aeternum fido merito Saturnius æquo.
Inde canit ſecum Iuſtorum geſta Virorum,
Quos linquens terras quondam Iuſtiſsima Virgo
Pro ſeſe magnis iuſsit conſidere terris:
Quò noſtri lumen ſæcli Iſabella venires,
Quam pudor, aligerum nec non comitatur Amorum,
Atq́ue chorus charitum, paphiæ vel gratia Diuæ,
Quæ ſimul iniunxit raro concordia nexu.
Te quoq́ue commemorat Turris, cui prima locarunt
Fundamenta Dei lætis, ac pinguibus aruis
Inſubriæ, populis munitas cœrcuit hoſtes
Terri-

Terrificos quæ ſæpè ſuis tutamine forti.
Et tu materiam præbes Seratice cantus,
Cuius inæquales iras, & fortia tela
Corporibus paßi noſtri ſenſere parentes.
Nec te iam liquit tacitum Peregrine vigentem
In patriam meritis, nomenq́ per æthra ferentem.
Nec Pompeiorum ſiluit Mauortia facta,
Nobilibus Venetus titulis ornare ſenatus
Quos cupit, & latis alarum protegit vmbris.
Sed Malaſpina rapis quò me iam carmine feſſum?
Cuius ſi poſſet laudes, numeraret arenas
Et Libycas aliquis, Nerei numeraret & vndas,
Et quos illuſtres armis è ventre Caballus
Extulit Heroes ſuperantes robore Achiuos,
Quos falſi clauſit moles operoſa Sinonis.
Inſuper his addens aliorum ſtemmata mille
Nobilium, poterit quę non delere vetuſtas
Candidiora die, nec auaro rodere morſu
Tempus edax, durum marmor quod perdit & æra.
Nulla quibus ſi non iterum mea carmina nectent,
(Cætera ſat fuerit voluiſſe inferre canendo)
Imponam cœptis finem; namq́ ordine longo
Poſſe recenſere eſt muſæ non omnia noſtræ
Digna graui plectro, maiori digna cothurno.
Ergò vt promiſſa exoluam; Tu magne Camille,
Cum Ioue cui fertur paruo (ſi credere dignum eſt)
Vbera Dictæo diſtenta dediſſe ſub antro,
(Arcanis placitum ſic fatis) lacte Capella,
In partemq́ venis, noſtriq́ es carminis auctor.
Proximus accedit Liſcarum ſtirpis alumnus
Clarus Alexander, qui ſontes ore rotundo
Sedes orce tuas meritos depellit ad imas,

Atq́

Atq; tot inſontes detentos crimine falſo
Letho adimit miſeros, fato furatur acerbo
Corpora quot Paulus morbis vexata medendo,
Qui Dionyſiadum columen, fulcimen honoris
Permanet, & conſtans, inconcuſſumq; manebit.
Dum nitido fulgens ſplendebit in æthere Phæbus.
At decus eximium Diuam, noſtramq; fatigat
Quippè tuum muſam metæ propiora tenentem,
Tu, Cui ſacratis cum Marco Antonius vndis
Impoſitum nomen, refugit quod carmine iunctum,
Tu, patrio tua qui figis veſtigia greſſu
Dulcia conducens vitreo cognomina fonte,
Quem circum Muſæ choreas, quem ducit Apollo,
Quos ibi nectentes hederam, laurumq; virentem
Ipſe oculis vidi, Federici tempora noſtri
Exornaturos ſerto frondente Ceruti.
Quæ ſimul, atque alia inuertit per pectora multa
Diua poli, tandem obtutu tota hæret in vno,
Muneris, indicti formeq; oblita laboris;
Et meritò. Quis enim non miraretur, in vnum
Si tot vidiſſet ſuperum congeſta Deorum,
Quot bona fatidici mirata eſt nuntia iuſsi,
Auguſtine tuo Valeri fulgeſcere corde?
Hæc genus antiquum Valera de gente profectum,
Hæc ſtupet Heroas veteri de ſtirpe creatos,
Qui rem Romanam varijs auxere triumphis,
Et qui nunc Venetam tutantur pace togati;
Aut ſi opus eſt, ſæuum reſonat cum buccina Martem,
Indutiue ſagis pectus verſare cruorem,
Pro patria exardent mortemq; ſubire decoram.
Illius at magis inſiſtit virtutibus Iris
Mente ſua, & ſupplex deflexo poplite adorat:
En

En quæ blandiferos, vafros & Dæmonis aſtus,
En quæ deſpiciunt ictus fatalia Mortis
Armaq́; falcigeræ, quæ demetit omnia paſsim;
En quæ mortales Diis immortalibus æquant.
Hæ ſolæ veros neglectæ laudis honores
Auctori peperere ſuo, ſacramq́; tiaram
Donarunt, Tyrioq́; infectum rore galerum;
Et triplices auro tandem fulgente coronas
Annectent cano capiti, tardæq́; ſenectæ.
Tùm finem belli, vacuumq́; videbimus orbem
Huius in Imperio, tortos qui conteret angues,
Oras qui mundi latas ſparſere venenis.
Gaudia fundentur terras tùm fuſa per omnes,
Lætitia in tanta ſolum Verona dolorem
Miſcebis; quoniam Domini præſentia tanti
Ora tui mærens nimium diſtantia cernes;
Pectora ſed tua diſceſſu ſolabitur ægra
Fratre ſatus, patrui vitæ non degener vnquam.
His aliò dictis Iris vaga lumina vertens
Clara viri vidit circumdare tempora flammam,
Nec tamen illuſtrem crepitantem paſcere crinem,
Fulgida ſed ſummum nulla caligine cæca
Inuoluens, ſurſum tendens hæc ſcandere cælum
Viſa eſt, & latum Diuæ volitare per orbem.
Continuò dixit. Salue Illuſtriſsime MARCE
Scipiadum, cui ſtelliferi modò Numina cæli
Cuncta fauent, Cuius ſemper noua gloria factis
Creſcet in immenſum, quo nil intonſus Apollo
Aſpiciet maius; quamuis vtroq́; recurrens
Oceano proprijs multos virtutibus auctos,
Et decoris radiis cinctos ſplendeſcere cernat.
Sanguine tu celebris, veterum tu Clarus Auorum;

Se Decios, Fabios, Marios, Curioſq; Camillos;
Roma magis ſed enim iactat peperiſſe potentes
Scipiadas; libycis qui tot Capitolia celſa
Ornarunt ſpolijs, nec non Orientis, & oræ
Heſperiæ, Cuius ſol ſe demergit in vndas.
Nec minus Adriaci tantos amplexa Nepotes
Exultat Regina Maris; nam geſta Minorum
Rara peræquarunt patrum iam facta priorum.
Hinc (felix proles, felix) venere, ſupremum
Qui decus induti patriæ caua tempora cornu
Imperium Venetum multos rexere per annos:
Hinc alij caput, ac humeros, oſtroq; decori,
Atq; manus gemmis inſignes; gloria cœtus
Sacrati, numerum cuius tu augebis, & vltra
Seruorum ſeruus ſcandens moderaberis orbi.
Ergò quando tibi tantum deſpondet honorum
Non dubijs monſtris Diuum venerabile Numen,
Salue, iterum ſalue, & miſeros reminiſcere vates,
Inuida fortunæ, quos & vis horrida vexat,
Mæcenas alere, officioq; fouere perenni,
Quò Clario geſtas poſſint res dicere plectro.
Hæc poſtquàm ſpectans Iunonis fida probauit
Interpres, tantis de rebus vix memor, ad quid
Venerit ex alto, demum ſic ore locuta eſt.
Audite, o Matres, quæ iam torpetis amaro
Planctu, quæ Dea nunc Iuno vos ſcire peroptat.
Continuis miſeræ lacrimis imponite finem;
Tempus enim (nec parua fideſeſt danda ſupernis
Pollicitis) velox aderit, quo cauſa doloris
Cordibus excedet veſtris, nec cornua phœbe
Multa citis currens bigis argentea plenis
Orbibus implebit, vobis cum iuſſa Senatus

Ver-

Vertet in antiquos legum contraria mores.
Aurò tùm fuerit licitum circumdare pectus,
Et teretes vobis circumgeſtare lapillos,
Moreq; de antiquo per compita ducere pompas.
Decolor ipſe ſuum pulſo mærore decorem
Induet hinc vultus; fuſcus color omnis abibit;
Candida ſed niueus ſuffuſus lilia, molles
Purpureusq; genas pæſtana roſaria vincens
Inficiet; veluti Sarrano miſcuit oſtro
Si quis ebur, minimum multò vel lacte lyæum.
Inde comæ rutilæ, quæ non Minoidos aſtrum
Inuideant, nec Battiade quem muſa poetæ
Imparibus crinem numeris celebrauit amica.
Hæc fata, in cælum paſsis ſe ſuſtulit alis
Aera diſcindens roſeo Thaumantias ore.
Interea Matres triſtes depellite curas,
Et largè lacrymis oculos tergete fluentes,
Iam turpans faciem pallor procul eſto, proculq;
Cedat corde dolor, ſolemq; reducite, nubes
Suſtulit ex hilari luctus quem fronte, ſerenum,
Speq; animum recreet, ſpes hæc noua paſcat inanem,
Nam cito labetur tempus, quòd nuntiat Iris.

FINIS.

98-106-35

D. LEON. TED. NOB. VER.

IN OPVS.

QVAE tua ſydereas Iris delapſa per auras
Blanda Iouis Domina dicta iubente refert;
Tam placidè ob vetitos ſibi luxus lege furentes,
Quas Verona ſinu fertq́; fouetq́; nurus,
Solatur, doctoq́; graues ſedantia luctus
Pectore fœlici fata recludit aue;
Vt mirum non ſit, capti tam dulcibus aures
Alloquijs, hilaris quoque lepore nitet,
Si tibi iura patres nuper fabricata reſoluant,
Concordesq́; tua in vota repente cadant.
Quare age vel medio tutus deprome theatro,
Quæ tibi tam dextro dat pede Muſa loqui;
Non amet inuolui tenebris ſua præmia virtus,
Ardua rimatur, qua petat aſtra, viam;
Non ignara ſibi quantum paret inde decoris,
Inconcuſſa vltra qui viget æra polo:
Nec metuas ronchos, ſtolidæ aut conuitia plebis,
Nil, quod poßit edax rodere liuor habet.
Aude animis, Iris cæca iam proſilit arca,
Ad cælumq́; alis explicat aucta comas.

36

H595
N479s
V.1

J595
N479S
V.1